

semen Serpentis & universum mulieris semen. Doloribus & laboribus subjiciuntur omnes, è Paradiso ejiciuntur omnes. Nullus ibi excipitur. Eandem oportet agnoscamus Universalitatem in Lapsorū Restitutione, ita ut qui lapsus fuerit in Adamo, resurgat quoque cum eodem resurgente. Quod ipsum non incommode adstruitur ex diversitate & oppositione Seminis muliebris & Serpenti, quæ omnino adæquata est, uti supra attigimus aphorism. 4. Omnibus dæmonibus sine exceptione denegatur omnis Spes redeundi in gratiam. Ergo vi oppositionis omnibus hominibus sine exceptione ullius promittitur venia, & plena fit spes omnibus. Adde quod universa & totalis inimici Serpentis potestas destruenda sit per semen mulieris. Ergo nemo sub ejus potestate derelictus aut præteritus fuit.

Hæc verò liberationis promissio est primum Evangelium, quod proinde cum ad omnes pertineat, ideò & inde natae promissiones Evangelicæ omnino universales sint oportet, utpote Gen. 18. v. v. 18. Cap. 22. v. 24, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Sic dicit Apostolus in 1. Cor. 15. v. 21. 22. in Christo omnes vivificari, qui in Adamo fuerunt mortui.

Intellige omnem & totam illam vitam, quam perdidit Adam, non tantum corporalem, sed quàm maximè spirituales, ut *Paraus ipse agnoscit in Commentario super hunc locum. Idem prolixè inculcat. Rom. 5. v. 17. 18. 19.*

II X. Prima & propriissima Dei voluntas est benevelle, & benefacere omnibus, adeoque providere sedulo, ne ullus moriatur in peccatis suis, sed omnes vivant, salventur atque convertantur.

Vocatur Antecedens Dei Voluntas *ωγεννημενη*, *Damascen. lib. 2. de Orthod. fid. cap. 29. & in dialog. contr. Manicheos, ωγεννημερον θελημα, ευδοκια Chrysof. Homil. 1. in Epist. ad Ephes. πρωτον θελημα* præcipua voluntas. *Quam suam benignissimam voluntatem Jehova ipse graviter proponit atque contestatur Ezech. 18. v. 23, 32. An delector morte impij? sive Numquid voluntas mea est in morte impij? dixit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat? Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini & vivite. Ubi notetur 1. causa dicti, quæ versu 4. ponitur. Cur Deus nolit mortem peccatoris, quia scilicet omnes animæ sunt Domini, si-*

ve Do-